



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigesimo-Octavo De Matrimoniis, &  
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

Qualiter consensus contrahentis exprimendus sit. Pun. 7.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

sufficit, quod partes inter se moraliter coniungantur, ut patet in Sacramento penitentiae, ordinis, & confirmationis, &c. Neque item ex ratione contractus, in quo moralis coniunctio facilius admittitur. *leg. 1. §. qui praesens. ff. de verbor. obligat. i. & leg. 1. §. sed verior. ff. de contrahenda empr.* Et in praesenti est manifestum, cum per epistolam, vel procuratorem contractus matrimonij celebretur, in quo consensus contrahentium simul physicè celebratur, in quo consensus contrahentium simul physicè non existit. Atque ita docent omnes Doctores tertiae, & quarta sententiae, quae si benè pendantur inter se non pugnant, sed verissimae sunt. Pro quarum explicatione aduerto matrimonium contrahi posse consensu physicè praeterito habitualiter permanente, neque opus esse ut permaneat in aliquo effectu producto, qui causa contrahendi sit, quia nihil physicum efficere debet, sed solum hunc moralem effectum, scilicet mutua traditionem corporum, mutuaque obligationem, ad quam praestanda sufficit perseverantia moralis habitualis, sicuti in aliis contractibus (stipulatione excepta ob eius singularem naturam. *leg. contrarius. ff. de verbor. obligat.*) Quapropter etsi multum temporis inter valet, & alium consensum intercesserit, si tamen de facto expressè, nec tacitè reuocatus non est, sufficit ad contrahendum matrimonium. Censetur autem reuocatus, si in aliam personam consentit. Item si consentit pro determinato tempore, eo transacto, quem terminum regulariter omnes contrahentes censendi sunt apponere maiorem, vel minorem iuxta negotij qualitatem. Nemo enim credendus est (inquit Coninch.) velle perpetuò alterius consensum expellere, & de suo statu suspensum esse.

Praedicta locum habere possunt, ut inquit Coninch. *dicto dub. 7. concl. 4.* Basil. Ponce. *lib. 2. cap. 16. n. 5.* etiam vbi viget Trident. si prior consensus coram Parocho, & testibus sit, & alio die sequenti idem Parochus, & testes alterius consensui assistant, tamen nesciant, an prior consensus reuocatus sit; id enim necessarium non est; sicuti non est necessarium, cum matrimonio per procuratorem contracto assistant, scire praedictum mandatum reuocatum non esse.

3. Quod verò Sanch. *lib. 2. disp. 32. num. 9.* quem sequitur Coninch. *disp. 1. 4. dub. 7. conclus. 3. in fine.* & Gutier. *cap. 46. num. 14.* asserit te sicè consentientem altero legitimum consensum praestante posse denuò consentire, quin alios denuò consentiat, quia praedictus consensus alterius legitimus habitualiter perseverat mihi non probatur, eo quod praedictus consensus post factum contractum neque formaliter, neque habitualiter perseverat, quia fuit consensus de contrahendo tali tempore, non alio, in quo credit sibi esse impossibile denuò contrahere. Praeterea praedictus consensus non solum ex tua parte nullus fuit ob fictionem, sed etiam alterius consensum nullum reddit, quia nemo consentit in traditionem sui corporis, nisi alter eandem sui corporis traditionem faciat; est enim hic contractus mutuus & onerosus, ergo ex perseverantia praedicti consensus vtpote nullius valoris conualescere matrimonium non potest. Requiritur ergo novus consensus. Qualiter hic praestandus sit postmodum examinabimus.

#### PUNCTUM VII.

##### Qualiter consensus contrahentis exprimendus sit?

1. Vriusque consensus verbis, vel signis exprimendus est.
2. Aliqui affirmant esse verba necessaria.
3. Non sunt necessaria necessitate Sacramenti.
4. Satisfit rationi opposita.
5. Nec etiam sunt necessaria necessitate praeepti.

1. **C**ertum est vtriusque consensum verbis, vel signis exprimendum esse. Tum quia est contractus respectivus, humanus, & politicus, qui sola mente celebrari non potest. Non enim potest esse vltro citroque obligatio, quin consensus contrahentium sibi inuicem manifestentur, & fauet lex traditionibus, *Cod. de Pactis, ibi: Traditionibus, & usu capionibus, non nudis pactis rerum dominia transferuntur.* Tum quia constituit Sacramentum, quod necessariò est signum sensibile gratiae sanctificantis. Colligiturque haec veritas ex Concilio Florent. in decreto Eugen. & ex Trident. *sess. 24. cap. 1. de reformar. & pluribus Sanch. lib. 2. disp. 30.* Neque obstat Textus in *exp. cum locum de Sponsalib.* vbi inquit Pontifex, matrimonium à solo consensu contrahitur, id est à solo consensu libero expresso, non coacto, non enim expressionem consensum intendebat Pontifex excludere, sed coactionem, ut ex contextu constat. Neque item obstat *cap. ius fraternitati, eodem tit.* vbi dicitur, matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri, & mulieris consensum; sed necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba consensum exprimentia de praesenti, intelligendum enim est, esse necessaria verba, & non sufficere nuda, ut facilius Ecclesiae constare possit matrimonium esse contractum. Neque item obstat quod in *cap. sufficit 27.*

*quest. 2. & cap. fin. de sponsa duorum,* dictum sit solo consensu expresso abique copula, hanc enim ab essentia matrimonij excludere intendebant, non tamen consensus expressionem.

2. Sed an praedictus consensus verbis necessario exprimendus sit saltem necessitate praeepti? variant Doctores. Nam plures, quorum meminit Sanch. *lib. 2. disp. 31. num. 2. Zeuall. r. 3. commun. opin. quest. 750. num. 21.* Gutier. *cap. 46. num. 10.* Coninch. *disp. 24. dub. 8.* Basil. Ponce. *lib. 2. cap. 7.* existimant non solum esse verba necessaria necessitati praeepti in eis qui loqui possunt, sed esse necessaria pro valore Sacramenti. Mouentur ex *cap. ius de sponsalib.* ibi: *sed necessaria sunt quoad Ecclesiam verba, id est ex institutione Ecclesiae, & ex cap. licet; eodem ibi; ita ut vnus alterum verbum consensu recipiat. Et cap. consultationi eodem. ibi; cum verba processissent.* Et efficacius ex Concilio Florent. ibi: *in decreto Eugenij,* vbi postquam decidisset omnia Sacramenta tribus perfici, verbis tanquam forma, rebus tanquam materia, & Ministro, loquens de matrimonio praedictam propositionem restinxit dicens: causa efficiens matrimonij est consensus regulariter per verba de praesenti expressus, tacitè indicans non semper esse necessarium consensum per verba exprimi, esse tamen regulariter scilicet in valentibus loqui. Neque minus esse debet, quod in aliquibus verba necessaria sunt, & non in aliis; nam cum huiusmodi Sacramentum consistat in contractu, optimè potuit Ecclesia pro valore contractus verba exigere in valentibus loqui, cum tamen in non valentibus signa reputet esse sufficientia.

3. Ceterum omnino tenendum est tam in non valentibus loqui, quam valentibus, verba non esse necessaria necessitate Sacramenti: sic pluribus firmant Sanch. *disp. 31. n. 5.* Gab. Vazq. *disp. 3. de matr. c. 7.* Couaruu. *2. p. de matr. c. 4. m. 1.* Gutier. *c. 46. n. 10.* Coninch. *dub. 8. concl. 2.* Basil. Ponce. *lib. 2. cap. 7. num. 4.* Et quidem pro non valentibus loqui, est descripto expressa in *c. cum apud. c. ius de sponsalib.* Et colligitur ex dicto Concilio Florent. At pro valentibus loqui colligi potest ex *cap. vnico §. fin. de desponsat. impub. lib. 6. vbi pro puella praesente, & tacente praestat pater consensum, & verum matrimonium constituit, quia puella medio illo silentio consensum patrem approbat, ut inquit D. Thom. in 4. d. 27. quest. 1. an. 3. quaestiuclula 2. ad 3.* Item ex *cap. fin. de coniugio. serui. ibi: me facto, nec verbo consentit. Et ex cap. veniens. cap. i. qui, cap. ius. cap. illud, & aliis de Sponsalib.* vbi deciditur sponsalia copula subsequente transire in matrimonium. Ratio est, quia si verba in aliquo casu essent necessaria pro valore Sacramenti matrimonij Concilium Florent. quod ita exactè materias, & formas Sacramentorum declarauit, sine dubio expressisset. Ex illo autem verbo regulariter id non colligitur: cum satis commodè explicetur, si dicamus consensum qui regulariter per verba exprimitur esse causam efficientem, non quasi necessariam sit necessitate Sacramenti regulariter per verba exprimi, sed quia hic modus explicandi consensum regulariter contingit. Et fortè ob hanc causam Tridentina. *sess. 24. de reformar. cap. 1.* dixit Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum consensu intellecto: notanter dixit in illis: quin verborum meminerit tacitè indicans signis intelligi posse, esseque sufficientia.

4. Neque Textus in *cap. ius fraternitati* contrarium probat dicens verba quo ad Ecclesiam esse necessaria, quia id dictum est, quia sunt necessaria, ut facilius Ecclesiae constet de matrimonio contracto. Textus verò in *capite licet. capite consultationi,* conuincunt regulariter verbis matrimonium perfici, non quasi ea necessaria sint, sed quia sunt signa superiora consensu. Ad argumentum ex Concilio Florent. deducum constat ex probatione nostrae sententiae.

5. Superest dicendum, An verba sint necessaria saltem necessitate praeepti; Et quidem nullibi esse latum praeeptum probat Sanch. *lib. 2. disp. 31. num. 10.* Basil. Ponce. *lib. 2. cap. 7. num. 14.* Egid. Coninch. *disp. 24. dub. 8. concl. 4.* Gutier. *cap. 46. numero 11.* ideoque non probo quod Sanch. & Gutier. affirmant esse peccatum veniale, si verba omittantur, quia vbi non est lex, nec praerogatio esse potest, vt inquit Paul. Fateor tamen esse maximè decens, vt contrahentes locos consensu verbis expriment, vt dixit Alphonus Rex, *leg. c. 1. part. 4.* Quinimo aliquando ratione scandalij, & ne dubius reddatur contractus, sub peccato mortali necessarium erit.

#### PUNCTUM VIII.

##### Quibus verbis, & signis hic consensus censetur expressus?

1. Spectanda est propria significatio verborum, cum dubia sunt.
2. Explicantur aliqua verba, quae consensum de praesenti denotant.
3. Qualiter signis exprimat consensum.